



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

§. XIV. An Religiosus ex licentia Prælati habens pecuniam ad usus honestos, possit eam ludendo exponere? an lucrum notabile ludo perdere, aut hoc restituere ludens sine licentia? & quid si Religiosus ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40013**

lis acceptio, ergo sicut non licet expendere ita nec retinere pecuniam sine consensu successoris.

Responderet fortè Lugo ut prius esse disparitatem, quod pecuniæ retentio ex se dicat tractum successivum, secùs expositio.



§. XIII.

*An Prælati Regulares possint subditis concedere usum, aut administrationem temporalium, & quid Religiosi facti Episcopi aut Cardinales possint circa temporalia.*

ELucidatio hujus §. habetur infra n. 301.

§. XIV.

*An Religiosus ex Licentia Prælati habens pecuniam ad usus honestos possit eam ludendo exponere? an lucrum notabile ludo perdere, aut hoc restituere ludens sine Licentia: & quid si Religiosus Societatis pro ministerijs spiritualibus accipiat stipendium, aut missam legat nomine alterius stipendiati.*

52. **Q**uatuor puncta quæstio includit. Primò an possit ludo exponere. Secundo an totam lucri summam notabilem perdere. Tertio an ludens sine Licentia, aut ludo sibi vetito debeat collatori lucrum reddere. Quarto an Religiosus Societatis possit pro ministerijs spiritualibus accipere stipendium, aut pro stipendiato legere missam.

*Resp.* Ad primum posse pecuniam moderatam ludo exponere ( nisi mos, aut Ordinis Constitutiones ludum talem ventent ) nempe si Religiosus studens, &c. annuatim expendat in sui sustentationem 100. aureos, potest anno uno in usum honestum expendere quatuor aut quinque, dummodo intra id tempus in alios

usus non necessarios aliam summam non expendat Lugo n. 14.

*Resp.* Ad secundum cum eodem n. 145. totam summam posse perdere durante moraliter, eodem ludo, etsi species ludi mutetur, novique succedant lutores, dummodo non omnes simul mutantur, aliàs foret novus moraliter ludus; finitio autem primo ludo nequit Religiosus ludo novo perdere, nisi moderatam summam, quia absoluto moraliter ludo lucrum cessit in dominium Monasterij Sanch. c. 19. n. 84. quod esse verum in rigore juris faterur Lugo, nihilominus æquitas petit, ut lucrum hodiernum ex communi ludendi Licentia liceat

cras



cras ludo exponere, si redeat is, qui pri-  
die perdidit.

*Resp.* Ad tertium Religiosum lu-  
crantem ludo sibi vetito, aut summam sibi  
non concessam teneri collusori lucrum to-  
tum reddere, ita Lugo *n.* 146. amplectens  
sententiam communem Sanchez *num.* 86.  
improbans tamen ejus rationem: ipse au-  
tem dat istam, quod ludus sit contractus  
utriusque onerosus cum mutua obligatio-  
ne, ac periculo perdendi ac lucrandi,  
sed talis Religiosus nequit subire hujus-  
modi periculum ac mutuam obligationem  
defectu Licentiae, nec valor hujus con-  
tractus potest claudicare ex parte Religio-  
si, usque ad ratificationem Superioris, uti  
possunt alij contractus.

*Resp.* Ad quartum Religiosum So-  
cietatis accipientem stipendium, aut aliud  
temporale pro spiritualibus ministerijs  
probabilius peccare ex genere suo mortali-  
ter contra votum paupertatis Sanchez  
*lib. 7. c. 28. n. 6.* Suarez, Pallao con-  
tra Belliz, *tract. 4. c. 2. u. 132.* Ratio  
est, quod votum paupertatis in Societate  
se extendat ad hunc actum, nempe non  
admittendi stipendia pro spiritualibus,  
nam *cap. 1. Exam. §. 3.* sic dicitur: *Tria  
vota in ea (nempe in Societate) obedi-  
entia, paupertatis & castitatis emittun-  
tur, postea materiam paupertatis sic ex-  
plicat, hic paupertatem accipiendo,  
ut nec velit nec possit reditus ullos ad  
suam sustentationem, nec ad quodvis a-  
liud habere: & infra eodem contextu,  
neque etiam pro missarum sacrificijs,  
vel predicationibus stipendium ullum  
accipere, vel Eleemosynam qua ad com-  
pensationem ejusmodi ministeriorum  
dari solet, possunt admittere.* Ex hoc.

Infero reum esse voti paupertatis  
Religiosum Societatis celebrantem ex pa-  
cto, ut stipendium detur alteri, qui  
talis celebratione missae acquirit dominium  
pecuniae, & id transfert in alterum, quae  
ratio probat talem non posse legere missam  
pro clerico privato pecunias recipiente  
pro missis, cum pecunia non acquiratur,  
nisi media missae lectione, quale jus ne-  
quit acquirere Sacerdos Societatis. Sanchez  
*num.* 19.

Nihilominus quando quis obliga-  
tur ad missas vi beneficii, cum tunc fru-  
ctus beneficii non acquirantur per lectio-  
nem missae, sed extinguatur obligatio  
seu onus connexum juri ad fructus bene-  
ficii potest Sacerdos Societatis lectionem  
missae talem liberare ab onere praefato  
Sanchez, *n.* 18. rectè inferens *n.* 24. etiam  
posse facere missam pro eo, qui jam reco-  
pit stipendium, ac satisfacere est impo-  
tens, ut si defectu stipendij nequeat con-  
ducere alium celebrantem, tunc enim Sa-  
cerdos Societatis censetur gratis legere  
missam ob impossibilitatem stipendij dan-  
di ab inope obligato, aut restituendi  
danti illud, si enim moraliter posset re-  
stituere, jam pro eo legens missam id ac-  
quireret obligato, quod non licet.

Circa dicta addo tria: primum est  
quod sit valde probabile non adversari vo-  
to paupertatis celebrare pro Amico,  
quem scio stipendium accepisse, quia ce-  
lebrans nihil temporale admittit, cujus  
admissionem duntaxat votum paupertatis  
excludit, secus quod simpliciter gratis  
velit exercere spiritualia ministeria ita  
Palao *parte 3. tract. 16. Disp. 2. punct. 11.  
num.* 7. Secundum est, quod et si juxta  
sententiam assertam in responso ad quartum



tum sit peccatum mortale, attamen non esse damnandum mortalis contra votum ex hoc præcisè capite monet Soar. *tract. 4. de Relig. tract. 10. lib. 4. c. 8. n. 11.* Dicit ex hoc præcisè, quia alio titulo magnum esse periculum mortaliter peccandi probat ibidem sic, quod Religiosus accipiens hæc stipendia sine uila Licentia clare incurrat in vitium paupertatis. Quod si illa accipiat ex Licentia dolosè obtenta, ut si petita sit Licentia ad rem accipiendam tacito titulo stipendij, probabilissimè etiam non effugitur vitium paupertatis, est enim Licentia subrepticia ob tacitum titulum in hac materia substantialem, nam eo cognito nunquam Licentiam dedisset. Procedunt dicta etiam de itinerante stipendium accipiente.

Tertium est quod etiam Sanch. *n. 15.* concedit eum, qui ante initam Societatem accepit stipendia pro missis ea debeat persolvere in statu Societatis post vota, si prius non satisfecit talis enim non acqui-

rit stipendium, sed ex ejus acceptione contracta obligationi justitiæ satisfacit. Ad dicit *n. 2. 3. & 25.* talia sacra esse præferenda sacris ex constitutione debitis, secus si post vota fuisset acceptum pro jis stipendium, nam per votum Societas acquirit jus in voluntatem Religiosi ad facienda sacra in Religione præscripta. Oppositum videtur verius etiam in isto casu, quia obligatio justitiæ est præferenda obligationi constitutionis non obligantis in conscientia ad legenda sacra, ita cit. Palao *n. 11.* Vide cit. Pelliz. *n. 149.* Ex Sanch. *num. 4.* Scribentem, quod non sit contra Societatis paupertatem accipere stipendia pro obligatione assignandi certum ministerium ad conferenda spiritualia E. g. Concionatorem, Confessarium, Lectorem Theologiæ, unde in Constitutionibus Societatis *parte 4. c. 7. §. 3.* Ubi oppositum exprimi videtur verbis illis: *non convenit ullam Collegij dotationem admittere, &c. ly non convenit,* importat Consilium.

§. XV.

An contractus aut delictum Prælati aut subditi Religiosi noceat Monasterio.

53. **P**ost Disputata commoda ex bonis Religiosi Monasterio obvientiæ solet communiter Quæri, an etiam nocere possit per contractus initos, aut delictum & commissum.

Dico primò delictum Religiosi etiam Prælati nequit nocere Monasterio, quia personæ delictum non debet converti in damnum Ecclesiæ per *regulam juris 76.*

*in 6.* nisi ex delicto commodum accepisset Monasterium E. g. ex furto, est communis apud Pelliz. *tom. 1. tract. 3. c. 6. n. 36.* aut delictum præcessisset Professionem, & Professus dedisset bona sua Monasterio, tunc enim ex his est satisfaciendum. Dico secundò contractus à Religioso initos sine Licentia Prælati nullam parere obligationem civilem, seu talem, H quæ